

Vg
5305





193. (23)

Vg
5305



PARENTATIO,
D. MARTINO
LVTHERO, THEO.
LOGORVM PRINCIPI, VVIT-
tenbergæ XVIII Februarij, die Concor-
diæ sacro, M. D. XCIIII, facta
& pronunciata



â
M. IACOBO FVRMANO
Gr. Ling. Professore.

Cui adjunctum est carmen hende-
casyllabum, antea editum, jam verò
recognitum, ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ,
eodem auctore.

*Præfixum est etiam Recto-
ris magnifici programma, quo Studiosi
ad Carminis auscultationem
invitati sunt.*

VVITEBERGAE,
Typis Zachariæ Lehmanni,
Anno M. D. XCIIII.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

dt typograph.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, D.
FRIDERICO GVLIELMO, DVCI ET
ELECTVRAE SAXONIAE ADMINISTRA-
TORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE, etc. DO-
MINO SVO CLEMENTIS-
SIMO,

PARENTATIONEM
HANC D. LVTHERO, VIRO ET THEO-
logo Incomparabili, factam

JACOBVS FVRMANVS
Subjectissimè dedicat.

M. D. XCIIII.

Handwritten signature or mark



RECTOR ACADEMIÆ VVITEBER.
GENSIS, ANDREAS SCHATO, AR.
tis Medicæ D. & Professor.



DIEM CRASTINVM ROMANI QUI-
rino seu Romulo, gentis suæ parenti consecratum
habuerunt, appellatum Quirinalia. Idem dies vo-
catus est Stultorum feria seu Fornacalia, quòd fru-
menta flammis torrere non nisi serò, & gravi cum
damno prisca agricola, armorum quàm sacrorum sci-
entiores, didicissent: qua de causa Dea Fornaci & nomen & sacra
celebrarunt. Homines superstitiosi, & fatui, cum Quirino pariter &
Fornace. Quò majores gratiæ Deo uni sapienti & immortalis ha-
benda sunt, & agenda, quòd pro interminata clementia sua cœlestis
& salutaris doctrinæ sapientiam nobiscum communicavit, liberatis
idolomania & fornace ferrea Pharaonis Romani: qui superstitiosis &
impijs cultibus Ecclesiam, contra interdictum divinum, cumulare non
dubitavit. Ea liberatio contigit ministerio, opera, & labore Dn. Do-
ctoris MARTINI LVTHERI, qui Heliano spiritu præditus,
& divinitus ad hanc rem excitatus, doctrinam Evangelij à pontifi-
cijs fraudibus, sordibusq; perpurgavit, & nitore pristino, luce sacra-
rum literarum, & auxilio Spiritus Sancti, restituit. Hoc tale &
tantum beneficium pijs animis agnoscere, grataq; & religiosa recor-
datione prosequi, par est unumquemq; nostrum: ac Deo misericordi
precibus serijs & ardentibus instare, ut Evangelij doctrinam inter
nos conservare porro velit, ab omni falsitatis admixtione puram &
sinceram. Quam ad rem ut se & alios exsuscitaret, constituit cras
M. IACOBUS FVRMANVS, Græcæ lingue Professor, carmen
recitare memoriæ D. LVTHERI consecratum. Ejus auscultandi
gratia ut hora nona, in auditorio majore studiosi frequentes conveni-
ant, magnopere volumus: officio pio, utili, & laudabili perfunctu-
ri. P. P. pridie CONCORDIÆ. Anno Christi 1594.

A 2

AD

AD M. JACOBVM FVRMANVM
D. LVTHERO PARENT ANTEM.

Dignum laude virum laudas : laudem ergò me-
rentur,

Quæ laudant dignum carmina laude virum.
Ut crystalla jubar geminum pellucida spargunt,
Si qua gerunt clausas nocte silente faces
Sic tua nativo, FVRMANE, hæc carmina mundo,
LVTHERIQ; toga splendidior micant,
Carmina sunt aurum, gemma est Lutherus in auro,
Circumeat digitos annulus iste tuos.

Salomon Gesnerus D.

Herculeus clava, calamo sacra monstra LVtherus,
Hic animi nervis, corporis ille premit.
Iunoni antestant quàm veri numina Christi:
Germano premeris Græcia falsa viro.

Adamus Th. Adami F. Siberus, Prof. Poëtica

SAEpe Lutheriaden ad pulpita notâ vocabant
Annua solenni carmina dicta loco.
Ille sed exoluit nostris mos desitus annis.
Anne poëticas nemo ministrat aquas?
Aut hodie effeta est doctis Vviteberga poëtis?
Aut labor hic sterileis laudis habet titulos?
Nescio quid dicam : quid suspicer, edere nolo,
Cur cieat manes nemo Lutheriada.
Tutamen hos elegum revebis, FVRMANE, quadrigis.
Nonne auriga bono dictus es augurio?

Fridericus Taubmanus Francus
FAREN.

PARENTATATIO.

Nona bis effulsit mæsto lux Februa cælo,
Lux etiam veterū concelebrata libris.
Qua consueverunt animas placare pa-
Annuaq; inferijs solvere justa sacris. (ternas,
Quem morem Aeneas, priscis si credimus annis,
Intulit in Latium, juste Latine, tuum.
Ille patris tribuit solennia ferta sepulcro,
Cultores ritus edocuitq; novos.
Hanc deinceps veteres dixere Feralia lucem,
Quòd soliti fuerint munera ferre rogis.
In nostris celebranda venit Concordia fastis,
Nomen dulce quidem, sed quoq; triste tamen.
Scilicet illa dies eadem est, qua funere raptus
Occubuit vates, quem tulit ISLEBIVM.
Quicumq; esse volent grati, lux omnibus ista
Sacrâq; semper erit, mæstaq; semper erit.
Namq; virum tantum communi funere mersit,
Quantum restituet postera nulla dies.
Ac licet ille quidem nequaquam hos curet honores,
Nec quas supremas solvimus exequias:
Officium tamen hoc pietas desiderat ipsa,
Vatis & Islebici nos meminisse jubet.

A 3 Quare

Quare àge CHRISTE veni, sed dexter Christe
Et timido vires suggere CHRISTE tuas. (venito,
Annue conanti per laudes ire LUTHERI,
Et flenti querulis funera digna modis.
Te sine nil possum, nil audeo, te sine nostrum
Nil valet ingenium, difficilisq; labor.
Tu quoq; clara tenes qui sceptrum, sacerq; senatus,
Doctoresq; alij publica cura schola:
Et generosi equites, & cetera turba Camœnis
Dedita, proposito quisq; favete meo.
Pontificum quanta fuerint caligine secla
Consita, præteriti temporis acta docent.
Qui populum vera de religione doceret,
Et sacra qui legeret biblia, nemo fuit.
Quisq; novos cultus & inania numina finxit,
Atq; novum invenit quisq; salutis iter.
Hic aras posuit delubraq; lumine sanctis,
Quorum in difficili sorte rogavit opem.
Ille Palestinam petijt sanctissima rura,
Maxime visurus CHRISTE sepulcra tua.
Compostellam alius per saxa cucurrit & ignes,
Spectatum exuvias, dive Jacobe, tuas.
Desertis alius consuevit vivere sylvis,
Que rara humano semita trita pede est.

Qui

Qui praeerant sacris, sacra nescivèrè monasta,
Ignarumq; pecus, mancipiumq; gula.
Nam passim turpi Veneri, Bromioq; litarunt,
Et potius ventrem quam coluere Deum.
Nil de promerito suffixi stipite CHRISTI,
Nil de justifica proposuere fide.
Sed stantes aras curvis cervicibus ante,
Murmuris obscuros ore dedere sonos.
Ac sine mente preces recitarunt more recepto,
Quas per aquas subiti diripuere noti.
Ignorare Deum, precium tunc utile mystis,
Et nescire Dei dogmata, questus erat.
At Latius praesul, penes est quem claudere caeli
Scilicet excelsas & reserare fores;
Sedit in aede sacra divini Numinis instar,
Mundum decipiens, despoliansq; polum.
Perq; suos monachos, telluris inutile pondus,
Constituit celsa regna inimica polo;
Ac leges precio fixit, precioq; refixit,
Sacrilego & caeli vendidit aere bona.
Quin etiam est ausus regum (miserabile visu)
Calcare imposito colla sacrata pede.
Et regnis spoliare duces, & pellere avitis
Sedibus, omni usus viq; doloq; malo.

Quis

Quis verbis tantum dignis exponere fastum,
Aut quis tanta satis damna dolere queat?
Armenias tolerare tigres, tolerare leonas
Prestat, & armatas Eumenidas facibus:
Turpia quàm Latij ludibria ferre tyranni,
Et saxum illius sustinuisse jugum.
Hæc ita cùm fierent, gemeretq; Ecclesia CHRISTI,
Crudeli penitus subdita servitio:
Tum Deus humanam miseratus ab æthere sortem,
Attulit afflictis deniq; rebus opem.
Induit & sacro flatu, monuitq; LUTHERUM,
Instauraret uti religionis opus.
Hunc Deus elegit multis de millibus unum,
Romulei ut nugas Præsidis argueret.
Addidit & vires, & nescia pectora vincit,
Pectora docta minas temnere, docta necem.
Nec mora, cœlesti lastratus luce LUTHERUS,
Ausonias fraudes vidit & indoluit.
Eruit & primus mysteria sacra, tenebris
Obruta Pontificum qua latuere prius:
Non secus ac quondam neglecta volumina cæco
Sub scamno legis delituere sacra:
Quæ rex Iosias in apertum fortè reperta
Protulit, & genti reddidit Isacide.

Impia

*Impia taxavit simulacra LUTHERVS, Et uni
Debita monstravit vota adhibere Deo.
Et constaret uti soli sua gloria CHRISTO,
Tempore qua longo penè sepulta fuit:
THESBITAE exemplo sacra turpia proturbavit,
Et mystas verbi fulmine dissecuit.
Casaris ante pedes magni stetit oraq; vindex,
Accola quæ Rheni Vangio litus adit.
Intrepidaq; fidem Et doctrinam mente professus,
CHRISTE tui assertor acer honoris erat.
Tantum defendit cœlestis dogmata verbi,
Dogmata divinis notificata libris.
Qua nullis hominum meritis contingere, sola
Sed tribui statuunt cœlica regna fide.
Inq; jubent uno CHRISTO sperare salutem,
Quo sumus accepti pacificante patri.
Hac est confessus, Papa nil fulmina curans,
Vertice tergeminum qui diadema gerit.
Nil Satanam veritus, stygijs qui praesidet undis,
Nec metuens amplas totius orbis opes.
Qui licet extremè conspira verè LUTHERI
Unius unanimes in caput, inq; necem:
Nil technæ valuerit, nihilq; minantia verba
Profecere tamen, nil novère doli,*

B

Sed

Sed quanto fremuere magis Mundusq; Satanq;
Et Verbo vires opposuere suas:
Tanto majores concepit pectore vires,
Tanto divinum fortius irsiit opus.
Et mundo & Satana caput insuperabile mansit,
Et sibi constructas exijt insidias.
Nam quem tutatur metuenda potentia cæli,
Quamlibet insano tutus ab hoste manet.
Fama refert duos exantlavisse labores
Alcidem, & casus sustinuisse graves.
Nimirum Augea stabulum expurgavit, & ampla
Tergemini stravit corpora Geryonis.
Atq; suis humeris cælestem sustulit orbem,
Ausus & est stygij regna subire ducis.
Et capitum horribile multorum perdidit Hydram,
Et qua præterea longa referre mora est.
At quis non plures pro religione labores
Ilebicum vatem sustinuisse videt?
Quis non cognoscit longè peiora ferarum
Agmina victricis perdomuisse manu?
Hic vir hic est, per quem cecidit Roma illa superba:
Spurcicia meretrix, nequitiaq; parens.
Alcides veluti Cacum, sic ille superbum
Pontificem vicit, pontificumq; gregem.

Et

Et cæcas latebras ac dedecus omne retexit,
Et claro ostendit furta patrata polo.
Ille repurgavit polluta altaria multis
Sordibus, & sædis contemnerata sacris.
Ausoniasq; ita fregit opes viresq; potentes,
Ut jam nil valeant fulmina Pontificū.
Qualiter Isaiides pascens in montibus agnos,
Ad bellum quamvis non satis aptus erat:
Fortiter immani prostravit mole Goliath,
Stridentis funda verberare præcipiti:
Sic nullo accinctus gladio clypeo ve LUTHERVS
Clavigeri minuit vim rabiemq; ducis:
Armatus tantum funda clavaq; potentis
Verbi, quod solum vincere cuncta potest.
Hoc duce Religio multos deserta per annos
Teutonicos iterum visere cœpit agros.
Et sonat augustis verbi vox reddita templis,
Ac redijt fidei, qui fuit antè, nitor.
Diac; pacifici patefacta est gratia CHRISTI,
Sanguine tollentis crimina cuncta suo.
Hoc duce qui nescit cultas crevisse Camœnas,
Barbariemq; rudem terga dedisse fugæ?
Nam celebri fama moti advenère LUTHERI
Doctrina insignes, eximijq; viri.

B 2

In pri-

In primis, quem Brett tulit, Phœbeius heros,
Et dedit à terra nomen habere nigra.

Qui secum Aonia deduxit vertice Musas,
Atq; in Leucorea jussit habere locum.

Quis non exultet morem rediisse sacrorum,
Assertumq; bonis artibus esse decus?

Idq; LUTHERI opera, studioq; Melanchthonis acri,
Quos vivos fidei junxerat unus amor.

Papa R. Nec modo clave potens Anomus bullisq; superbus
Exuperandus erat, sancte LUTHERE, tibi.

Nam truncata caput virosa repullulat Hydra,
Et recipit vires intus adaucta novas.

Heretici exurgunt patria intra viscera terra,
Acturbat veram factio prava fidem.

Carolstadt: Hic furij actus statuas subvertit, & aras
Diripit, & ritus amovet inde sacros.

Anabaptista Infantes alius prohibet Baptismate tingi,
Purgariq; sacro crimina fonte negat.

Struckfeldig: Alter at extenuat vim verbi, & nescio vano
Quos frustra afflatus jactitet ore sacros.

Synergista Hic hominum vires & facta extollit, at iste
Antinomi, Ad corvos Mosen juraq; sacra fugat.

Calvinista Mystica deridens alius convivia cœna,
Nil reliqui præter symbola nuda facit.

Et

Et quis erat Divum cententor, & ille malorum

Hortator scelerum, seditione valens:

Admonitu cuius detrectans sceptrapotentum,

Impia suscepit rusticus arma furor?

Quis fuit idem animus cunctis rescindere caelum,

Et solio CHRISTVM pelleret sceptrigerum.

Hos vero hereticos, detestandosq; furores

Comminuit vates, Teutonis ora, tuus. Mart. Lutherus. D.

Fallor, an audito hoc Cacodoxus nomine frontem

Contrahit, & risum forte Suita movet? Resnita.

Quantumvis hic more suo deludat, & ille

Corruget frontem, concutiatq; caput:

Postremi tamen est seculi ille LUTHERUS Elias,

Et vatem agnoscit Teutona terra suum.

Qui magnum ante diem perituri sulfure mundi,

Nobis restituit remq; librosq; sacros.

Dumq; locus pietatis erit, dum manserit uni

Turba dicata Deo, turba redempta Deo:

Tum simul ipsa etiam relegentur scripta LUTHERI,

Inq; manu gratæ posteritatis erunt.

Qua quicumq; solet naso suspendere adunco,

Est nebulo, & nunquam desinet esse miser.

Desine livor edax nostrum allatrare prophetam,

Mordaciq; ejus carpere dente libros.

B 3

Desinite:

Desinite o lepores tandem insultare leoni
Defuncto, & barbam vellere desinite
Qui si nunc etiam frueretur lumine, vestra
Gloria nulla foret, palmaq; vana foret.
Huic par est calamum submittere, qui sacra tra-
Et tanto vati cedere & ingenio. (Etant,
Nam reliquos tantum doctores anteit omnes,
Quantum Sol superat cetera signa polo.
Et sane cedunt grati quotcumq; matheta,
Quos nisi fastus inops ambitioq; regit.
Qui sibi turpe putant a nostro discere vate,
Nescio qua tumidi cognitione sacra.
Verum spem praeter vastum propellor in aquor,
Pandunturq; mea grandia vela rati.
Ac vereor, ne oneri tanto succumbere cogar,
Pressus & inflexo vertere terga genu.
Nunc vellem tantas mea haberent carmina vires,
Quantas Peligni carmina vatis habent.
Aut etiam tua docte Maro, aut tua culte Tibulle,
Quaeis Erato dites suppeditavit opes.
Nil equidem malim tua quam praconia versu
Dicere, & in laudes ire LUTHERE tuas.
At quoniam ingenij dotes mihi pauperis adsunt,
Musaq; Castalias parca ministrat aquas:
Partem

Partem aliquam laudum delibo, LUTHERE, tuarū.

Multaq; cum par sit dicere, pauca loquor.

Non adolere aris hecatombas possumus omnes,

Interdum thuris munera parva damus.

Qua tamē ipsa Deo quantumvis parva probantur.

Et bove pro magno thuris acerra venit.

At quantum decus amisit Germanica tellus,

Doctore orba suo, patre relicta suo?

Facidum fortis jacet eheu curvus equesq;

Teutoniaq; ingens fama decusq; jacet.

Quo vivente fuit felix Germania nostra,

Et tenuit patrios pax veneranda lares.

Non acies, non ira fuit, non arma, nec enses,

Nec levis ambitio, sollicitusq; metus.

Heu quoties mala cervici impendentia nostra

Prævidit, quoties tristia bella sagax?

Heu quoties propter sacri fastidia verbi,

Prædixit Turca seva latrocinia?

Heu quoties monuit fugiendos esse prophetas,

Quos ovium pellis vestit amica quidem:

Intus at occultant immania corda luporum?

Ab nimium certa est dicta secuta fides.

Nam simul è vivis superas concessit in cras,

Et sua vix mæsto reddidit ossa solo.

Agmina

Agmina proveniunt sectarum plurima, nostri
Qui parvi faciunt scripta probata ducis.
Dogmataq; incipiunt nova condere, Et edere libros,
Scriptura adversos, que Cynosura, sacra:
Undiq; bellorum seges ingruit horrida campis,
Classicaq; horrendum pulsa dedere sonum.
Pannoniam miserè viduavit civibus ensis
Barbarus, Et gratos depopulavit agros.
Nec tantum hoc: verum juga sub crudelia misit
Christicolas captos (proh dolor) hostis atrox.
Et Mahometigena cultui servire coëgit,
Et corpus pariter perdidit atq; animam.
Quis nescit pugnax ut devastavit Iberus
Olim Teutonici dulcia rura soli.
Quid, quòd cognata coiere in praeliagentes,
Et Mars in nostro sevit orbe ferus?
Et socias fulgens conversa securis in urbes,
Concussit patrios perniciose lares?
Tu quoq; sensisti cladem hanc sanctissime princeps,
IOANNES patria dux FRIDERICE pater:
Papa animum placidi cum Caesaris irritaret,
Te contra invita ferret ut arma manu.
Nam pluris summi faciebas verba Jehove,
Turpia quàm Latij somnia Pontificis.
At neq;

At neq; raptus honos, ne te corrumpere blandā
Gratia sustinuit, flectere ve exilium.
Pro vanis opibus mundi fuit unica cura (lis,
CHRISTVS, & in rebus portus & aura ma-
Non unquam te sancta mori Constantia, nunquā
Praestita pro patria cura salute sinit.
Sed magis atq; magis claret tua gloria, & ipsam
Post mortem excellens fama superstes agit.
Olim igitur nobis tanquam sacra anchora vivus,
Et tutamentum forte LUTHERVS erat.
Namq; suis poterat votis avertere bella,
Ac mala finitimis pellere limitibus.
Hoc moriente, omnis periit Constantia templis,
At contra leuitas fuit asq; super.
Hoc moriente, omnis cessit Concordia templis,
At contra graviter saevit Erinnyis atrox.
Diraq; tartareis Discordia nata latebris,
Mirifica CHRISTI dissipat arte gregem.
O ter acerba dies & lamentabilis usq;
Qua cecidit sacri tanta columna chori.
Ejus adhuc fato cruciatur dedita CHRISTO
Concio, cujus Atlas, dum superabat, erat.
Assidet ad tumulum, ac natum suspirat ademptum
Religio, sanctas ungue notata comas.

C

Et


Et mœstis albos montes ululatus impler,
Et solvi in fluidas tota cupit lacrymas.
Fortunata suo fuit hoc Germania vate,
Fortunata magis sed VViteberga tamen.
Cernere præ reliquis cui contigit urbibus vni,
Quotidie vultus oraq; sancta viri.
Et quæ reliquias atq; ossa beata LUTHERI
Complexu ac proprio viscere clausa tenet.
Fama urbis hujus volitat super æthera celsum,
Tangit & Eoas Hesperiasq; plagas.
Quæ quondam Isacidum Solyme fuit inclita genti,
Sæpeto verè est jam VViteberga satis.
Doctrina sedes cœlestis, fidaq; custos,
Et schola virtutis, justiciæq; thronus.
Diruta Judææ Solymes sunt mœnia turba,
Illius at nobis stat VViteberga loco.
Multi adveniunt alienigena monumenta LUTHERI
Doctoris nostri cernere & effigiem.
Non secus atq; olim sacra Urbis visere templum,
Venerat ex varijs turba profecta locis.
Non secus atq; adiit Solymen regina Sabea,
Majestatem amplam cernere Davidida.
Donec depositum servaverit illa LUTHERI,
Donec & ipsius scripta diserta leget:
Et donec

Et donec cathedra Concordia sancta sedebit,
Vnaq^{ue} Doctorum mens erit, una anima:
Perpetuo felix erit & VViteberga vigebit,
Atq^{ue} erit aeternum tuta, tegente Deo.
Et quamvis Lupus & Vulplenus undiq^{ue} oberrent,
Edocti incautos fallere mille vijs:
Quamvis irrepant in pectora credula furtim,
Et varijs ludant artibus atq^{ue} dolis:
Quamvis (na digito monstrari ac diciet, HI SVNT,
Et ferre eximium nomen ab orbe volunt)
Posthabito nova propugnent deliria verbo,
Atq^{ue} viro docto cedere turpe putent:
Nil tamen efficient, nostri quocunq^{ue} LUTHERI
Doctrinam oppugnant exagitantq^{ue} mali.
Sed spe delusi cogentur relinquere litem,
Iunctaq^{ue} cum multo damna pudore pati.
Non opus exemplis: annales inspice tantum,
Quisquis es, & revoca temporis acta tui:
Invenies caruisse dolos successibus omnes,
Compositos urbi huic, compositosq^{ue} schola.
Anticyon capitur, patetq^{ue} Tenebria tandem,
Et Lycus obruitur, Spermologusq^{ue} perit.
Ac meritas solvit pœnas, qui invertere laudi
Scripturam, & fidei consona dicta putat.

C 2 Diligit

Diligit hanc sedem Deus & defendit & ornat;
Neve illi noceant ulla pericla vetat.
Quare agite, & dum tempus adest, resipiscite tan-
Quam vos corripiat debita poena prius. (dem,
Inq; redite viam, ac divi monumenta LUTHERI
Suspiciate, & verbum discite rite Dei.
Verum, ni fallor, narratur fabula surdis,
Irritaq; in rapidos verba notos abeunt.
Quem semel obliquus trahit in divortia sensus,
Et varium huc illuc devius error agit:
Vix emendatur, vix postea tramite recto
Ambulat: usq; adeo mens scelerata perit.
At tu immixte sacris heroibus atq; prophetis,
Salve sancte parens, incola digne polo.
Nonte post ullus dolor, aut miser occupat angor,
Necte conficiunt tempora plena malis.
Sed caelo fruere, sed consuetudine CHRISTI
Uteris, & coram Numina sancta vides:
Salve iterum, salve ter fortunate LUTHERE,
Atq; in perpetuum sancte LUTHERE vale.
Hosq; leves elegos, suspiriaq; edita ab imo
Pectore, qua libo digne LUTHERE tibi:
Grata sinas precor esse, nec ultima munera sper-
Qua promptè cineri qualiacunq; domus. (nas,
SI quis

ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ.

 I quis Pythagora vocaret olim
Decreta in dubium, atq; curiosè
Causas quæreret, huic nihil matheta,
Præter αὐτὸς ἔφα, renunciarunt.

Tantus discipulis erat magister.

Cur non αὐτὸς ἔφα, sit ille nobis,
Cælorum & maris & soli creator?
Cur verbis Domini fidem negamus,
Quando corpus edi suum, bibiq;
Sanguinem suum ait sacra in synaxi?

At sensus renuunt, nequitq; nostra
Complecti ratio, & sequuntur absurda
Infinita? Opifex supremus ille
Verbum quando Deus profatur, aures
Tantum intende tuas, Deiq; fida
Tantum mente nota teneq; dicta:
Nugatrix ratio licet reclamet,
Et multa extruat hinc ineptâ, demon
Perversus licet impiusq; mundus
Multa ogganniat, ingeratq; multa.

Sed tu Dipnosophista verba CHRISTI,
Et mysteria reris esse ludos.

Accœna prociui e sacra relinqas
Corpus illius, evolasq; nubes
Supra cœruleas, & alta olympi
Trans sidera cogitatione
Scilicet fidei, locoq; CHRISTVM
Quopiam tibi imaginari esse.

Si commenta quis hæc probare, sive
Jurare in tua verba nolit: hunc tu
Bardum, Tiresiamq; Barbarumq;
Stipitemq; asinumq; plumbeumq;
Proclamas, cerebroq; destitutum:
Sit HAGNON licet ille, Teutonum lux,
Sive ENCAUSTIVS ille, sive tandem
Quivis dogma alius secutus horum,
Qui quod sint homines, nec omnia ipsi
Videre, ac potuere de viare,
Nec cuncta ex tripode apta sunt locuti.

Quò ruis Cerebrose? verba saltem
Obsecro bona. Non aberrat ille,
Qui CHRISTO tribuit fidem, ipsiusq;
Verbis nititur unice. Sed heus tu
Mendacij arguis, Argotyphle CHRISTVM,
Qui Verbum, rationis obsecutus
Vesano imperio, calumniaris,

Humanisq;

Humanisq; decempedis IESVM
Nec iris, spacioq; certo Olympi
Includis solij instar, unde nolit
Arvelli nequeatq; Et inde corpus
A mensa ejus abesse fingis, ima
Quantum terra polo remota summo est.

O caput stolidum impiumq; CHRISTVS
Non est vaniloquus, planusve fallax,
Nec ergastulus est, supra sed omnes
Caelos se extulit, adq; prapotentis
Dexteram Patris (unde detrahe illum,
Si vis tanta tibi) sedens adimplet
Celsus, Et moderatur universa,
Quae polo simul Et solo tenentur.
Et sacro loquitur semel quod ore,
Hoc prestare potestq; vultq; semper.
Nec tempus vetat aut locus moratur,
Quo minus faciat, quod est locutus,
Quippe temporis Et loci imperator.
Hunc qui verum Hominem Deumq; CHRISTVM
Solvit spiritus, ex Deo ille non est.

In caelestibus ergo nil acumen
Mentis, ingenijq; nil valet vis:
Sed verbum valet unicum J E H O V A E,

Quod

Quod verum est, quoniã IPSE DIXIT: huc tu
Aures arrige commodaq̃, & illud
Pectoris penetralibus reconde.

Haud major sapientia ulla verbo est
Cœlesti: sapientiorq̃ cunctis
Hic est, quem docet unicus magister
CHRISTVS, qui via, vita, veritasq̃.

Ergo infensa Deo, maliq̃ Circe
Dæmonis Ratio obticescat, atq̃
Credat simpliciter Fides, quod unus
CHRISTVS eloquiturq̃ precipitq̃,
Et persuasum habeat reapse, CHRISTI
Corpus pane dari, poterioq̃
Sanguinem in scelerum remissionem
Pro mundo trabe sub crucis profusum.

Hæc CHRISTI rata verba sunt, quia IPSE
DIXIT. ò nimium beatus ille,
Qui cor præbet obediens & aures
Dicenti faciles: ter at quaterq̃
Æternumq̃ miser, Dei potentis
Qui dictis adimit fidem disertis.

F I N I S.

X 2207077







93. (23)

Vg
5305

PARENTATIO,
D. MARTINO
LUTHERO, THEO-
LOGORVM PRINCIPI, VVIT-
tenbergæ XVIII Februarij, die Concor-
diz sacro, M. D. XCIIII, facta
& pronunciata

â
M. IACOBO FVRMANO
Gr. Ling. Professore.

Cui adjunctum est carmen hende-
casyllabum, antea editum, jam verò
recognitum, ΑΥ ΤΟΣ ΕΦΑ,
eodem auctore.

*Præfixum est etiam Recto-
ris magnifici programma, quo Studiosi
ad Carminis auscultationem
invitati sunt.*

VVITBERGAE,
Typis Zachariæ Lehmanni,
Anno M. D. XCIIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

dt. Typography.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

